

Bl. 12.



Ch 777

51

**M. PORCIUS CATO**  
**VTICENSIS**  
**GEMINA ORATIONE**  
**IN SCHOLA CIZENSIVM EPISCOPALI**  
**LAVDABITVR**  
**A. D. XVII IVL. POST MERIDIANAS PRECES.**  
**INVITAT AD AVDIENDVM**  
**M. CHRISTOPHORVS CELLARIVS,**  
**RECTOR.**

---

EX OFFICINA HETSTEDIANA.

bb.



M. PORCIVS CATO

VTICENSIS

GEMINA ORATIONE

IN SCHOLA CIBERIVM EPICORALI

AD XVII IVRTO POST PERIPHANAS PRICES

INVIAT AD AVDIENDVM

M. CHRISTOPHORVS CILLARIVS

BY EPICINA HETSTEDIANA

**N**on falso Crispus Sallustius dixit,  
falso homines de natura sua queri, quod  
imbecilla sit, & forte potius, quam virtute  
regatur: hoc est cupiditatibus prauis captos  
& ad inertiam ac voluptates corporis non propenden-  
tes solum, sed plane irruentes homines, ex eo ple-  
rumque sibi excusationem quærere, quod fragiles, &  
in vitia, quam virtutes, proniores sint conditi, vt cul-  
pam ab se in alium, auctorem puta naturæ nostræ,  
transferant. Hi quod animo præditi sunt, duce vi-  
tæ mortalium, quamvis per se ad divina atque sacra  
studia, vt Theologi perdocent, inhabiles sunt, ciui-  
li tamen iustitiæ efficiendæ, hoc est honestati & vir-  
tutibus colendis mediocri saltim ratione sufficiunt.  
Quod si enim hominibus bonarum rerum tanta cura  
esset, quanto studio aliena ac nihil profutura mul-  
tumque etiam perniciosa petunt; non regerentur,  
magis, quam regerent casus, & eo felicitatis proce-  
derent, vbi constanti tranquillitate, quanta in homi-  
nem naturaliter cadit, perfruerentur. Nullo tempore  
non disputatum fuit de summo bono & felicitate mor-  
talium: nunquam tamen absoluta fuit disputatio,  
quod studiis diuersis homines in diuersas sententias  
eunt, & si verbis plerique, ne prauis videantur, con-  
sentiant, virtutemque laudent; re tamen & vita ni-  
mium quantum dissident. Videas enim hos ipsos  
etiam, qui virtutem profitentur, (spurcos enim & for-  
didos, qui vitam instar pecoris transigunt, indignio-  
res ducimus, quam vt rationem illorum habeamus)  
videas, inquam virtutem professos, lucro sæpe tur-  
pissimo deditos, aut vanis inflatos honoribus, aut vo-  
luptatibus languorem potius sibi, quam breuem de-  
lectationem adquirentes, qui singuli, quantumcun-  
que

que bonum & quantocunque studio adfectant, a vero bono longissime absunt, quia suis studiis honestatem posthabent. Hi quoque naturæ imbecillitatem accusarunt, ut cupiditatibus suis licentius indulgerent, quasi per naturam suam vacationem virtutis; contra, agendi libertatem, quod cuique molle & iucundum videatur, adepti sint. Non autem argumentis hi homines (quamquam neque hæc deesse nobis possunt) sed exemplis firmiter, clariusque convincendi sunt, cum prisca ætas non vnum Catonem, Fabium Maximum, Fabricium, Lælium atque similia virtutis nomina ac ornamenta protulerit, quæ hortamento possint plurimis esse, etiam multis Christianis, cum instituendæ vitæ, tum æquabili honestatis tenore constantissime ad finem perducendæ. Plus enim efficaciam exempla, quam præcepta, habent, quod non modo præcipiunt, quid agendum sit, sed idem etiam fieri posse, facto indubitate commonstrant. E multis sufficiat M. Porcium Catonem Uticensem, quem etiam par discipulorum non incultum & honesta iam missione abiturum, laudabit publice, commendasse, & quantam virtutis suæ existimationem reliquerit, perstrinxisse breuiter. Hic, si Senecam audimus de Constantia sapientis cap. II, CERTIVS EXEMPLAR SAPIENTIS VIRI, id est virtutibus exculti fuit, QUAM VLYSSES ET HERCVLES PRIORIBVS SAECVLIS, quippe Velleio iudice lib. II. cap. XXXV, HOMO VIRI VTI SIMILLIMVS, aut quod Cicero de Catone pro Muræna cap. XXVI prodit, HOMO IN OMNI VIRTUTE EXCELLENS adeo fuit, ut QVISQVIS SANCTVM ET EGREGIVM CIVEM SIGNIFICARE VELLE, SVB NOMINE CATONIS DEFINIRET, Valerio Maximo auctore lib. II. cap. X. Et ne quis in dubium vocet paganorum testimonia, ex ecclesia vnum adiicimus Tertulliani Apologetico cap.

cap. xi, qui cum paganis obiecisset, quod multos criminosos homines cælo intulerint, multos potiores viros apud inferos, sine consecratione, reliquerint; vt fortius illos & certiore exemplo stringeret, quis, dixit, EX ILLIS DIIS VESTRIS GRAVIOR ET SAPIENTIOR CATONE? Hunc autem cum primis exemplo proponimus, commendamusque imitandum, quod vita & morum sanctitate probavit, posse hominem, si velit animique vires intendat ac exerceat, etiam cunctis virtutibus, non vna modo & altera, præstare. Non enim contenti illorum opinione sumus, qui summum illud bonum, ad quod philosophia ducit, excedere modum vnius hominis credunt, idque varie diuisum & laceratum in multis separatim quærunt, vt fortitudinem in Alexandro; iustitiam in Aristide, in Cæsare clementiam, continentiam in Scipione, & in aliis alias virtutes. Quod si est, vix prohiberi poterit, ne ex cultoribus virtutis fiant cessatores, & otiosissimus quisque sibi persvadeat, fecisse se officio satis, si in vna, aut si melior videri velit, etiam altera virtute exerceatur, ceteras excolendas relinquat aliis. Sic fortes habebimus libidinosos, aut iniustos; clementes, prodigos; aut alia ratione virtutes vitiis permixtas, vel extinctas potius & suffocatas. Quam salubrior illorum disciplina & doctrina est, qui vni etiam homini, sed sobrio, industrio, & honestatis amanti contingere multas virtutes, aut omnes, persuasum habent, cum eadem omnium virtutum sit ratio, & qui vnum adfectum sub iugum potest mittere, ceterorum quoque victor, si pugnet fortiter, possit perfacile fieri? De Catone nostro non est, quod dubitemus. Fortem fuisse quis negabit, cum legerit quanta animi magnitudine res novas molienti Cæsari non modo

modo contradixerit, arma contra eum ceperit, legio-  
bus, nauibus præfuerit; verum etiam ingenti itine-  
rum difficultate locorumque inopia, quam Lucanus  
lib. IX describit, ad Scipionem copias perduxerit, &  
rebus in deterius ruentibus ipse tamen animosus, qui  
verus character fortis viri est, propositum vnice ha-  
buerit, vt vel beatissimam vitæ conditionem victoria,  
vel pulcherrimam mortem aduersa fortuna conse-  
queretur. Nec minus fortis extra ballum fuit, cum  
iniuria perferenda, subeunda invidia, conuicium, con-  
tentiones sustinendæ, reipublicæ causa. Carcerem,  
vulnera, repulsam moderate & æquissimo animo tulit,  
vt non Plutarchus modo in Vita, sed Seneca etiam ci-  
tato de Constantia Sapientis libro cap. I. recensuit.  
Temperantiæ argumentum sit per Africæ solitudines  
difficillimum iter, quo ita sibi temperauit, ut cum post  
aliquot dierum sitim ad fontes peruenerit, nouissimus  
omnium biberet, etiam post lixas & calones, siue, vt  
Lucanus c. I. refert,

*Ultimus haustor aquæ: cum tandem fonte reperto*

*Indiga cogatur latices potare iuuentus,*

*Stat dum lixa bibit.*

Castitati & matrimonii causæ videtur Hieronymus  
derogare, cum lib. II. aduersus Iouinianum cap. VI. Sco-  
torum inquit *natio uxores proprias non habet, & quasi*  
*Platonis politiam legerit, & Catonis sectetur exemplum,*  
*nulla apud eos coniux propria est.* Hoc sanctissimus  
pater procul dubio intelligit, quod repudiata Atilia  
Hortensiam duxit, quam deinceps Hortensio con-  
cessit in matrimonium, sobolis illam creandæ causa  
expetenti. Superiorem non iniuste reiecit, quæ pu-  
dicitia violata id meruerat: alteram dum nouo ma-  
rito concessit, egit quidem quod naturæ incongruens,  
erat,



erat, non autem quod abhorreret ab legibus Romano-  
rum. Etenim ex instituto Numæ, auctore Plutarcho  
f. 76. ὁ Ῥωμαῖος ἀνὴρ ἰκανῶς ἔχων παιδοτελείας, ὑφ' ἑτέρας ἢ  
παιδῶν δεομένης τέκνων, ἐξίστατο τῆς γυναίκος, ἐκδόσθαι καὶ μετεκ-  
δόσθαι κύριος ὑπαρχών, Romanus, cum esset ei copia libe-  
rorum, exoratus ab alio qui sobolem quæreret, permitte-  
bat ei uxorem, cum dimittendi eam atque alteri elocandi  
potestatem haberet. Sed ad alia virtutis monumenta  
conuertamus oculos. Quantam honorum modera-  
tionem præ se tulerit, id documento esse potest, quod  
oblatum exercitus imperium, victo Pompeio, non se-  
mel recusauerit, cessurus id primum Ciceroni, dein  
Scipioni, utrique consulari viro, ipse prætorius, mi-  
nor dignitate quidem, virtute autem & rerum usu at-  
que prudentia æqualis utrique, vel etiam superior.  
De abstinentia testis est Cypri confiscatio, vnde tanta  
cura & religione thesauros regio reuexit, ut ne se-  
natui quidem obuiam progresso salutationis potesta-  
tem daret, antequam illos in ærarium ingessisset.  
Iustitiam fori subsellia & reorum aduocatorumque  
metus atque trepidatio loquuntur, qui cum venalia  
omnia Romæ inuenirent, Catone iudice nihil efficie-  
bant largitionibus suis vel audacissimi corruptores.  
Erat enim integritate vitæ clarus & constanti seueri-  
tate, qua neque sibi, neque aliis quidquam, quod de-  
cori & honestati aduersarium esset, indulgebat. Sum-  
ma: cum strenuo virtute; cum modesto, pudore;  
cum innocente abstinentia certabat, ESSE QVAM VIDE-  
RI BONVS MALEBAT. Latius hæc deducere nostri insti-  
tuti non est, quod operam illam ingenui adolescentes  
IOHANNES PAVLVS Elliger / Cizensis,  
&  
PAVLVS CHRISTIANVS Birkner / Ienensis,  
vter-


uterque ex scholastica in acedemicam palæstram rite,  
& augurato dimittendi, susceperunt, vt non modo  
virtutes Catonis persecuturi sint laudibus, sed modum  
etiam rationemque ad illas perueniendi non obscure,  
nec impeditè explicaturi. Non enim intersepta est  
virtutis via, sed omnibus patet, omnes, qui inquirunt  
illam, admittit: nec est, qui deiiciat ingredientem, qui  
sum moueat pergentem, nisi quis ipse se vitiis suis detur-  
bet ac præcipitet. Tandem cum facilis coniectura sit,  
non de fore qui obuertant Catonis laudi voluntariam  
mortem, quam Vticæ sibi consciuerat; ad illud quoque  
non quidem excusandum; declinandum tamen non  
imparati nostri sunt, & si non poterunt alia euadere, in  
vitæ & excessus separatione aliquid præsidii inuenient.  
Habent quidem in Cicerone atque Seneca, quo mitiga-  
ri factum possit, saltem Stoicorum causæ atque discipli-  
næ id relinqui: nec desunt aliorum exempla, & ea cla-  
rissima, non virorum solum, sed ipsarum etiam femi-  
narum, in quorum laudibus summi viri C. Plinius,  
Corn. Tacitus & alii versati sunt; non autem hoc excu-  
sationis genere vtentur, quod impium & inhumanum  
omnino est, iniussu imperatoris ex vitæ statione dece-  
dere: sicut etiam Catonis virtutes non alio animo de-  
prædicabunt, quam vt Christianis proponant, quam fe-  
licius in virtutis stadio hi se promouere possint, si velint,  
tot adminiculis sanctis, quibus gentiles caruerunt, divi-  
nitus instituti, cum ipsi pagani in eodem processerint  
non prorsus infeliciter. De hisce honestissimis rebus  
oraturos nostros ut audiant benigne patroni atque fau-  
tores nostratum Musarum, omni studio atque obser-  
vantia oramus & contendimus, discessuris vna cum  
omnium rerum, tum maxime studiorum successum  
prosperrimum adprecantes. PP. Cizæ postrid. Idus  
Quintil. CIO IOCLXXXV.


Nr 3165

8<sup>o</sup>

Wort

170





Sh 777

51

VS CATO  
ENSIS  
ORATIONE  
SIVM EPISCOPALI  
BITVR  
MERIDIANAS PRECES.  
AVDIENDVM  
VS CELLARIVS,  
OR.  
  
HETSTEDIANA.

Abb.

